

Dices 2. Quilibet potest licite uti, ut libet, eo, quod suum est; atqui in actu venereo non utitur nisi eo, quod suum est, nisi forte in adulterio, aut raptu: ergo. R. D. Maj. (*Ib. ad 2.*) quilibet potest licite uti, ut libet, eo, quod suum est pleno jure, C. eo, quod suum est non pleno jure, N. Et ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq. Igitur homo non habet plenum jus in corpus suum quasi de eo, ut libet, possit uti. Solus Deus est absolute Dominus sicut vitæ, ita & corporis: præscribit autem homini rationem sui domini in proprium corpus in ordine ad debitum finem, & illi concessit usum, non quemlibet, sed decentem, ut ipsa ratio naturalis dicat: facit ergo injuriam Deo, qui inordinatè utitur corpore suo per luxuriam.

Nota. Hoc peccatum fieri veniale ex indeliberatione actus, ut accidit in omnibus aliis peccatis, nullus dubitat: sed utrum possit esse veniale ex levitate materię controversia est inter Theologos; quos tamen puto convenire in re, exceptis paucis, & differre tantum penes modum dicendi. Sit itaque

ARTICULUS II.

Utrum in peccato Luxuriæ detur levitas materię.

Nota 1. hic esse distinguendum inter materiam sensualitatis, & materiam luxuriæ, seu veneream. Materiam sensualitatis est delectatio orta ex proportione objecti sensibilis ad sensum, visibilis nempe ad visum, audibilis ad auditum, gustabilis ad gustum, tangibilis ad tactum, &c. ut tangere rem mollem, lenem, &c. audire vocem sonorā, vide pulchrum objectum, gustare cibum sapidum, &c. Materiam venerea est, ut dixi, delectatio orta ex commotione spirituum generationi deservientium. De delectatione sensualitatis, quæ etiam dicitur Organica, non videtur difficultas; pro certo enim habeo, saltem speculative, admittendam in ea levitatem materię, atque de ea presentiarum dicendum, quod dixi supra de gula conclusione 1. & 2. eam nimirum propter se quasitam non excedere culpam venialem, quia est tantum inordinatio rei secundum se indifferentis. Unde, sicut, qui audit vocem sonorā, qui gustat cibum sapidum, præcisè propter delectationem organici, seu sensualem inde extortam, non peccat nisi venialiter; ita non peccat nisi venialiter, qui aspicit pulchram mulierem, aut tangit ejus manum, seu faciem, præcisè propter delectationem merè organici, seu sensualem, consistentem, ut jam dixi, in quadam proportione & conformitate rei visæ, vel tactæ cum organo visus, vel tactus; ita quod non sit aliud, quàm delectatio de re pulchra, quæ videtur, aut de re blanda, molli, tenera, quæ tangitur, absquæ alia cujuscumque rei turpis delectatione. Itã censent S. Antoninus, Navarr. Sanchez, Lessius, Gabriel, Molanus, Asorius, A. Graffius, Fillucius, quos citat & sequitur Sylvius hic a. 4. Conclus. 4. Item Wiggerius, Comitulus, Conventerius, Vincentius Baronius, Lorth, Boudart, quos citat & sequitur Henno in 6. præcept. Decalog. q. 9. a. 1. concl. 2. & ut puto communiter contra Cajetanum: imò & videtur S. Th. qui hic a. 4. non agnoscit oscula libidinosā, nisi ea, quæ sunt ob delectationem peccati mortalis, ut fornicationis. De hac materia redibit sermo infra, dum de impudicitia tactus, &c.

Cæterum, quia a delectatione sensuali ad veneream, maxime in sensu tactus, aut visus, facilis est progressus, consultum est omnibus castitatem amantibus, his delectationibus organicis non immorari.

Quæstio itaque restat de commotione, seu delectatione venerea: utrum plenè voluntaria, seu volita, quæcumque sit etiam levis, semper sit peccatum mortale: potest autem esse volita vel indirectè in se, vel indirectè in causa tantum. His positis,

Dico 1. In re venerea, directè in se volita & intentā, non datur parvitas materię, excusans a peccato mortali. Est communis contra Caramuelem, & admodum paucos alios; plures enim, qui videntur sentire oppositum, intelligendi sunt de re venerea indirectè tantum volita, ad sensum sequentis conclusionis. Quidam conclusionem probant ex hoc, quod quæcumque carnis commotio, etiam levis, sit inchoata pollutio, proindeque materia gravis. Verum incertum est istud fundamentum, & a multis negatur, nec nobis probatur. Insuper plus probat, quam intendat isti Auctores. Pro quo

Nota: commotionem carnalem quandoquæ esse gravem, quandoquæ levem, saltè physicè; & inter actiones, ex quibus causari solet, quasdam esse remote influentes in illam, quasdam proxime; itè quasdam esse, quæ remote & per accidens influunt in gravem, per se autè & proxime in levem: v. gr. simplex osculum oris ad os, aspectus fixus & morosus pulchre mulieris in faciem, tactus levis & transitio-

rius superioris partis manillarum & similia, meo judicio, influunt per se & proxime in levem commotionem, remote & per accidens in gravem; quia licet non habeant ex se vim sufficientem ad commovendam graviter naturam, habent tamen ad commovendam leviter. Igitur, si quæcumque levis commotio sit inchoata pollutio, ideoque materia gravis, sequitur, quod actiones præfate, quæ per se & proxime influunt in eam, sicut peccatum mortale, nisi quia per se proxime influunt in commotionem carnis; & tamen hanc sequelam negant isti Auctores, qui passim docent tales aspectus, aut oscula, aut tactus, ex joco, levitate, aut simili causa factos, non esse peccata mortalia. Hac ergo probatione omissa, melius

Prob. Conclusio ex periculo ulterioris & turpioris consensus, qui inseparabiliter annectitur consensui directo in levem delectationem: cum enim natura ex sua corruptione sit maxime fragilis in hac materia, atque tota proclivis in has delectationes, & insuper hac indocilis passio semel voluntarie admissa mentem excæcet, & tanta vi voluntatem rapiat, ut illi fingere terminos sit difficillimum; ne dicam impossibile, vix, aut ne vix fieri potest, quod quis directè consentiat delectationi carnali in se, quin sit periculum proximum in aliquo ulterioris & turpioris consentiendi; atqui id, quod de se foret veniale, fit mortale ratione periculi proximi incendi in mortale: ergo. Confirmatur ex damnatione hujus propositionis ab Alex. VII. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum, habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus & pollutionis;* atqui, si in re venerea directè in se volita daretur levitas materię, tale foret osculum habitum ob delectationem carnalem, quæ ex illo oritur: ergo. Unde sententia nostræ opposita non videtur posse nunc amplius sustineri. Porò adverte, illam propositionem peccare, non quia dicit tale osculum esse veniale, si secludatur periculum; sed quia, inquit Steyartius, ad tegendam turpitudinem suam supponit id, quod est impossibile, aut certe metaphysicè raritatis, nimirum posse in tali casu secludi periculum ulterioris consensus.

Dices 1. Juxta Aug. l. 2. contr. Julian. c. 10. & serm. 6. de verb. Apost. sæpè concupiscentia non lethaliter, sed venialiter vincitur: ergo. R. S. Aug. loqui de concupiscentia, cui non plenè deliberatè consentitur: ab ea enim tunc venialiter vincitur.

Dices 2. Inter conjuges datur materia levis in re venerea: ergo etiam inter solutos. R. N. C. Disparitas est, quod inter conjuges consensus in levem commotionem non habet annexum periculum consensus in actum ulteriorem mortalem, siquidem actus anteriores sint ipsis liciti, secus in solutis.

Dices 3. Talis est delectatio, quale est objectum; sed objectum est leve: ergo. R. D. Maj. Talis est delectatio, quale est objectum, secluso periculo peccati mortalis, C. Attento periculo peccati mortalis, N. & ad hunc sensum distincta Minor, N. Conseq.

Dices 4. in aliis peccatis directè in se volitis datur levitas materię: ergo & in isto. R. N. Cons. quia in aliis peccatis non intervenit periculum proximum peccandi, sicut in isto.

Dico 2. In re venerea, indirectè tantum volita in causa, datur parvitas materię excusans a mortali, ita quod, qui voluntarie ponit actum, ex quo sive per accidens, sive per se sequitur levis commotio, modo in se displicat, nec adit periculum consensus in illam, peccat venialiter dumtaxat. Est communis, si non quoad verba, saltèm quoad sensum: ii enim ferè omnes, qui negant dari levitatem materię in re venerea, plerumquæ intelligunt de re venerea directè in se volita tantum, ut patet in Theologis Societatis, qui secundum suas leges tenentur docere, & de facto docent, non dari levitatem materię in re venerea; passim tamè docent, oscula, tactus, aspectus in partibus honestis causa levitatis, joci, &c. ex quibus ordinariè oritur quædam commotio, non esse nisi venialia peccata, & consequenter dari levitatem materię in re venerea, indirectè volita in sua causa.

Prob. 2. In re venerea directè in se volita non datur levitas materię ob periculum proximum consensus ulterioris; atqui, ubi non est consensus in ipsam rem levem veneream in se, sed tantum in sua causa, non est periculum proximum ulterioris consensus, ut testatur quotidiana experientia: ergo. Prob. 2. In aliis peccatis datur levitas materię, v. gr. in ebrietate, gula, furto, &c. ergo a fortiori in hoc peccato admodum naturali, familiaris, facillimo, & frequentissimo, ubi abest periculum gravioris peccati, ut in casu conclusionis. Nec sanè proferri potest: ulla ratio sufficiens disparitatis.

Scio

Scio hanc proferri, quod omnis commotio carnalis est levis sit inchoata pollutio, quia juxta Galenum, & Medicos, ut fertur, omnis carnalis commotio nihil aliud est, quam motus humoris spermatici, per spiritus generationi servientes incallescens, & de lumbis per certas arterias ad membrum genitale descendens, quod est inchoata pollutio. Veram jam ostendi, hoc assumptum nimis probare. Insuper ipsum nego. Quamvis enim commotio carnalis sit quædam decisio humoris spermatici, est tamen levis decisio, & longe adhuc distans a completa pollutione, nec magis debet dici inchoata pollutio, quam jurgium dicitur inchoatum homicidium, aut haustus immoderatus dicitur inchoata ebrietas. Quod si morosè contendas, dicendam esse inchoatam pollutionem, dicam inchoatam leviter, & remote, sicut pari jure dicam haustum immoderatum esse inchoatam ebrietatem leviter, & remote, & ideo utrobiquè culpam venialem.

Repones: Ista levis commotio est saltè dispositio ad pollutionem; utpote ad quam ex natura sua tendit: ergo. R. D. Ant. est dispositio proxima, N. Est dispositio remota, sicut rixa ad homicidium, haustus immoderatus ad ebrietatem, C. & N. Conseq. Non est enim damnandum peccati mortalis, qui vult indirectè tantum, & in causa dispositionem remotam ad peccatum mortale: alioquin omnes occasiones remote peccandi forent peccata mortalia; quod nemo dixit.

Confirmatur conclusio ab inconvenienti: Si homo teneatur sub peccato mortali vitare omnem actionem, ex qua sequitur ordinariè levis commotio venerea, sequitur, quod oporteat damnare ut plurimum peccati mortalis conversationes non necessarias virorum cum mulieribus, juvenum maxime cum puellis, colloquia familiaria, varias recreationes honestas secundum se, in quibus facillimè intereurrunt aspectus blandi, verba demulcentia, tactus, oscula, amplexus in partibus honestis ex amicitia, joco, levitate, utpote ex quibus plerumquæ oriuntur leves motus venerei; atqui hæc, quamvis sint fugienda, pauci sunt tamen, si qui sint, qui ea damnant peccati mortalis, ubi abest periculum consensus in ipsam veneream, nec ea est præxis Confessoriorum in Tribunali: ergo. Confer, quæ dicemus infra de osculis, tactibus, & similibus impudiciis.

Quæritur, utrum possit dari actus venereus, qui non sit peccatum. R. Affirmativè, (*Ib. a. 2. o.*) scilicet actus conjugalis in matrimonio. Quia non est peccatum, quando homo utitur modo, & ordine convenienti rebus propter finem bonum, ad quem sunt ordinate; atqui talis est usus matrimonii ad conservationem generis humani: ergo. De hoc latius, dum de Matrimonio.

ARTICULUS III.

Utrum Luxuria sit peccatum capitale; & quæ ejus sint.

Dico 1. Luxuria est peccatum capitale. (*Ib. a. 4. o.*) Prob. illud est vitium capitale, quod habet finem multum appetibilem, cujus appetitio homo procedat ad multa peccata perpetranda; atqui finis luxuriæ est maxime appetibilis, nempe delectatio venereorum, quæ est maxima: ergo.

Rectè notat hic Sylvius, quod, quamvis origo vitiorum ex capitalibus attendatur potissimum secundum rationem causæ finalis, non attendatur tamen solum secundum illam, quasi omnia alia vitia oriuntur ex affectu finis peccati capitalis tantum media ordinata in eum; sed sufficit, quod vel ex affectu vitii capitalis homo sit paratus alia incurrere, vel quod ex ipso secundum rationem causæ efficientis, aut dispositivæ procedat. Et hoc insinuat S. Doct. tum hic ad t. ubi docet originem aliorum vitiorum attendi potissimum secundum rationem causæ finalis: & similiter t. 2. q. 64. a. 4. dicit vitia capitalia dici, ex quibus alia oriuntur, præcipuè secundum rationem causæ finalis: ubi *To præcipuè, To potissimè* satis

DISSERTATIO VI.
DE SPECIEBUS LUXURIÆ.

Div. Thom. Quæst. 154.

ARTICULUS I.

Quot, & quæ sint species Luxuriæ?

S. Th. (*Ibid. ad 4.*) Magistrum Sententiarum in 4. d. 41. Gratianum 36. q. 1. *Lex illa* secutus, reconset hic quin-

indicant, etiam oriri secundam aliam rationem. Et hic q. 158. a. 6. docet, iram ideo esse vitium capitale, quia ex illa multa vitia oriri possunt, non solum ex parte objecti, seu secundum rationem causæ finalis, sed etiam ex suo impetu, quo ira mentem præcipitat ad inordinata quæcumque agenda.

Dico 2. (*Ib. a. 3. o. & ad 4.*) Conventienter assignantur a D. Gregor. octo species interiores luxuriæ, nempe cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus presentis sæculi, & horror futuri. Et ab Isidoro quatuor exteriores, scilicet, turpiloquia, scurrilia, ludibria, & stultiloquia. Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Quando inferiores potentie vehementer afficiuntur ad sua objecta, consequens est, quod superiores vires impediuntur, & deordinantur in suis actibus; atqui per vitium luxuriæ appetitus inferior vehementer intendit suo objecto propter vehementiam passionis, & delectationis: ergo per luxuriam maxime superiores vires, scilicet ratio, & voluntas, deordinantur. Subsumo; atqui quatuor sunt deordinationes in actibus rationis, totidem in actibus voluntatis: rationis enim sunt quatuor actus in agendis: primus simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum, & hic actus impeditur per luxuriam; & quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis, quæ fit ut luxuriosus pro fine debito ultimo, vel medio non apprehendat eum, qui verè est talis, sed aberrat, & aliam finem indebitum sibi constituit. Secundus actus rationis est consultatio de mediis; & hic etiam impeditur per luxuriam; & quantum ad hoc ponitur præcipitatio, quæ fit, ut homo non adhibeat deliberationem sufficientem circa media ad finem. Tertius actus est iudicium de agendis, qui etiam impeditur per luxuriam; & quantum ad hoc ponitur inconsideratio, quæ fit, ut quis deficiat in seligendis mediis inter plura ad finem aptioribus. Quartus actus est imperium rationis circa agenda, qui etiam impeditur per luxuriam; & quantum ad hoc ponitur inconstantia, quæ fit, ut luxuriosus non exequatur id, quod decernit esse faciendum; unde Terentius in Eunuchis de quodam, qui dicebat, se recessurum ab amica, ait: *hæc verba una lacrymula vestiguet.* Ex quibus etiam patet peccato luxuriæ maxime everti prudentiam, quæ in prædictis actibus consistit.

Ex parte autem voluntatis (*Ibid.*) consequitur duplex actus inordinatus, quorum unus est appetitus finis; & quantum ad hoc ponitur amor sui, quo luxuriosus non solum se inordinatè amat, (id enim est commune omni peccato) sed quod amat carnem suam, & ejus voluptates sic, ut in eis ultimum finem suum constituat. fit per oppositum ponitur odium Dei, qui prohibet, & punit delectationem concupitum. Alius actus voluntatis est circa media ad finem; & quantum ad hoc ponitur affectus presentis sæculi, cui luxuriosus ita adheret propter suas voluptates, ut in eo semper vellet manere; & per oppositum ponitur horror, & desperatio futuri sæculi: horror, quia luxuriosus scit per mortem se privandum suis voluptatibus, & gravissima tormenta pro eis subiturum; itè desperatio, quia luxuriosus, dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit.

Prob. 2. pars. (*Ib. ad 4.*) Cum luxuriosus habeat cor turpibus cogitationibus plenum, de facili in turpia verba prorumpit: *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Matth. 12. & sic ponitur Turpiloquium. Itè, quia luxuria inconsiderationem, & præcipitationem causat, elicit, ut luxuriosus facillè dicat, aut faciat quædam minus honesta ad risum aliis excitandum, quod dicitur Scurrilitas. Et quia luxuriosus delectationem querit, verba sua ad delectationem ordinat, & sic prorumpit in verba Ludricæ; unde videmus, huic vitio deditos colligere ex libris certas narrationes turpes, & ludicras, quas coram aliis quasi ludendo, & oblectando referunt. Tandem, cum luxuria excæcet mentem, luxuriosus prorumpit in Stultiloquia, utpote, cum suis verbis præfert delectationes, quas appetit, quibuscumque aliis rebus.

quæ species luxuriæ, naturæ humanæ non repugnantes scilicet fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, & raptum, quibus addit sextum repugnantem naturæ humanæ, quæ communi vocabulo dicitur vitium contra naturam. (*Q. 154. a. 1. o.*) Et quamvis hic, solita sua reve-

rentia utens in Auctores, inquit Cajetanus, reducat sacrilegium ad adulterium, dicens esse quoddam adulterium spirituale, quatenus mulier vovens continentiam, quoddam spirituale matrimonium facit cum Deo; infra tamen art. 10. expressè ponit speciem distinctam luxuriae. Itaque

Dico: (*Ib. a. 1. & 10. a.*) Sunt septem species luxuriae: scilicet, fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, & vitium contra naturam. (*Ibid. a. 1. o.*) Species in peccatis desumuntur ex diversitate objecti formalis; atque in peccato luxuriae tot sunt diversitates objecti formalis, quot sunt species assignatae: ergo. Prob. Min. Diversa ratio objecti formalis in peccatis desumitur a materia sub diversa repugnantia ad rationem, uno modo quoad finem actus veneri, & hoc dupliciter: vel quia impeditur generatio prolis, & sic est *vitium contra naturam*: vel quia impeditur debita educatio, & promotio prolis natæ, & sic est *simplex fornicatio*. Alio modo per comparationem ad alios homines, & hoc quodupliciter; vel quia femina est nimis propinqua, nec idèò servatur illi debitus honos, & est *Incestus*; vel quia alteri est juncta, & est *Adulterium*; vel quia est sub potestate Parentum, & est *Stuprum*, si non inferatur violentia; *Raptus* vero, si inferatur: vel tandem, quia non servatur debitus honos propriè votum, aut Legem Ecclesiasticam, & sic est *Sacrilegium*: ergo. Quantum ad tactus, oscula, & similes impudicitias reducuntur ad speciem, ad quam disponunt, v. gr. si fiant cum soluta, ad fornicationem; si cum conjugata, ad adulterium, & sic de cæteris.

Dices 1. Peccata conjugata sunt in genere luxuriae, adeoque in aliqua specie, non in assignatis: ergo. R. Peccata conjugata sunt secundum se, vel mortalia, vel venialia; si sint secundum se mortalia reducuntur ad aliquam ex prædictis speciebus, ut congressus in vase indebito ad vitium contra naturam, in loco sacro ad sacrilegium, peritio debiti in habente affinitatem cum uxore ad incestum. Si autem sint venialia secundum se, ut tactus, oscula, &c. non pertinent ad prædictam divisionem, quia non sunt in genere luxuriae simpliciter, sed luxuriae secundum quid: prædicta autem divisio fit in genere luxuriae simpliciter, quia fit secundum inordinationem seminationis, quoad substantiam actus, & non quoad modum, aut alias circumstantias ventales actus liciti.

Dices 2. Genus luxuriae non potest contrahi per differentiam alterius generis ad construendam speciem; una enim species non potest esse sub diversis generibus; atque differentie adulterii, incestus, stupri, raptus, & sacrilegii, sunt alterius generis, scilicet vel iniustitiae ut in adulterio, & stupro, & raptu; vel irreverentiae in sanguine junctis, ut in incestu; vel irreligionis, ut in sacrilegio: ergo. R. D. Maj. genus luxuriae non potest contrahi per differentiam alterius generis ad constituendam speciem propriè, & metaphysico sumptam, C. Speciem moralitèr sumptam, N. Hoc autem ultimo sensu tantum species assignatae dicuntur species luxuriae, moralitèr scilicet, & juxta vulgatum modum loquendi, quo minus communia dicuntur species, etsi solum per accidens, communem aliquam rationem contrahant. Sed, quamvis pertineant ad duplicem genus, v. gr. adulterium ratione iniuriae, quæ fit comparati, pertinet ad iniustitiam, ratione carentiae vinculi conjugalis ad luxuriam; dicuntur tamen potius species luxuriae, quam vel iniustitiae, vel irreligionis, &c. 1. Quia luxuria se habet in illis formalitèr: cum se habeat per modum finis, alia vero genera materialitèr, sic adultera, v. gr. regulatèr loquendo non querit facere iniuriam marito, sed suæ concupiscentiae satisfacere, & sic de cæteris. 2. Quia hæc peccata committuntur in materia luxuriae, & per actum ejus.

ARTICULUS II.

De Fornicatione.

Nota. Fornicatio aliquando sumitur pro quovis illicito concubitu; sic Matth. 5. sumitur pro adulterio, cum dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam machari*. Quandoque & communis accipitur pro determinata specie luxuriae, quæ definitur: *Concubitus soluti cum soluta corrupta*, & solet designari per hæc verba: *Fornicatio simplex*, ut ostendatur eam nulla alia graviore circumstantia infici.

Dicitur 1. *Soluti cum soluta*: id est, personarum, quæ sint liberæ, con solum a vinculo matrimonii, sed etiam a mutua cognatione, vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiae, ab ordine sacro, & violentia.

Dicitur 2. *Corrupta*; quia, si sit virgo, erit stuprum, & non simplex fornicatio; ut dicitur infra.

Circa fornicationem simplicem triplex fuit error. Primus Nicolaitarum, Gnosticorum, & quorundam Græcorum, qui docuerunt fornicationem, nullo Jure esse illicitam. Idem adhuc tenent hujus temporis Anabaptistæ, qui concubitum promiscuum permittunt, & agunt. Alter error fuit Durandi, qui in 4. d. 33. q. 2. n. 10. docet, fornicationem Jure naturæ non esse nisi culpam venialem; quod autem sit mortalis, hoc habere a lege positiva. Tertius error fuit Caramuelis l. 3. Theolog. moral. n. 1600. & quorundam aliorum, qui docuerunt fornicationem nullatenus esse intrinsicè malam, sed solum esse malam, quia lege positiva est prohibita. Contra quos

Dico 1. De die est, fornicationem simplicem esse peccatum mortale. Prob. 1. Ex Scripturis. Deuteron. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël*. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium carnis, in domo Domini Dei tui... quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum. Apost. ad Rom. 1. Fornicationem annumerat iis peccatis, quæ qui faciunt, digni sunt morte. 1. Cor. 6. dicit: Neque fornicari, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt: Ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Similiter ad Ephes. 5. & ad Hebr. 13. & Apocal. 21.

Neque dicas, nomine fornicationis intelligi in Scripturis luxuriam in communi. 1. Quia id est aperte falsum, ut patet ex locis cit. ad Cor. ad Galat. ad Ephes. & ad Hebr. ubi fornicatio cum variis aliis speciebus luxuriae ut ab ipsis distincta recensetur. 2. Dato gratis assumpto, nihil ex illo evincitur contra conclusionem. Si enim luxuria ut sic damnatur peccati mortalis: ergo & fornicatio simplex, quæ est ejus species.

Prob. 2. ex Concilio Vienn. Clementina de Hæreticis cap. 3. *Ad nostrum l. 5.* ubi inter varios errores Begardorum, & Beguinarum damnatur hæc: *Mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum*. Actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime cum tenatur exercens. Prob. 3. ex Patribus. S. Fulgentius Ep. 1. c. 1. Fornicatio nunquam potest esse sine gravi crimine; in quo licet non dubitemus damabilius peccare hominem ab uxore disjunctum, damabilius tamen fornicari existimo conjugatum: utrumque autem Scriptura S. judicandum, & regno Dei pronuntiat alienum. Chrysost. hom. 22. in 2. ad Cor. Quoties scortatus es, toties condemnasti teipsum. Similiter alii Patres. Quantum ad probationem a ratione, proponitur conclusio sequenti. Unde

Dico 2. (*Hic a. 2. o.*) Fornicatio simplex est intrinsicè mala mortalitèr; proindeque non solum est mala quia prohibita, sed prohibita quia mala. Prob. 1. ex condemnatione hujus propositionis ab Innocentio XI. *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur*. Est vigesima prima. Prob. 2. Si fornicatio non esset intrinsicè mala, sed sola lege positiva prohibita, sequeretur, quod gentes, qui hanc legem positivam ignorarent, fornicando non peccarent; atque falsum consequens, & Apostolo contrarium: ergo. Prob. Min. Apost. loco cit. ad Cor. ubi postquam dixit: *Neque fornicari*, neque alii, quos ibi enumerat, *Regnum Dei possidebunt*; subiungit alloquentem Corinthios: *Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*. Fuerant ergo Corinthii per fornicationem, dum adhuc in gentilitate detinebantur, sordidi, immundi, iniusti. Item Apost. loco cit. ad Ephes. 5. ubi postquam dixit: *Quid omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hereditatem in regno Christi, & Dei*; subiungit: *Nemo vos seducat in vanis verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentie*, hoc est, incredulitatis, adeoque gentes non imbutas præceptis S. Scripturarum: ergo.

Antè probationem a ratione (3. *cont. gentes c. 122.*) suppono 1. tamquam certum, seminationem humanam ordinari naturalitèr, non solum ad generationem, sed etiam ad nutritionem, educationem, & instructionem prolis. Id patet ex natura seminis, & prolis necessitate secundum corpus, & secundum animam. Frustrà enim esset generatio, nisi debita nutritio sequeretur, quia generatum non remaneret debita nutritio subtracta: & in specie humana proles non solum indiget nutritio quantum ad corpus, ut in aliis animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam. Nam alia animalia habent naturalitèr suas providentias, quibus sibi provideri possunt; homo autem ratio-

tionem vivit, quem per longi temporis experimentum ad prudentiam pervenire oportet. Unde necesse est, ut filii a parentibus quasi jam expertis instruantur, nec hujusmodi instructionis sunt capaces mox geniti, sed post longum tempus, & præcepte cum ad annos discretionis pervenerint.

Suppono 2. (*Ibid.*) quòd in animalibus, in quibus sola femina non sufficit ad educationem prolis, à naturæ auctore inditum esse, ut mas, & femina post coitum commaneant quousque necessarium est ad prolis educationem, & instructionem, ut patet in quibusdam avibus, quarum pulli indigent foveri, & cibo aliunde quæsito nutriri, ad quæ cum non sufficiat sola femella, à natura inditum est mari in talibus, ut commaneat femellæ ad educationem foetus. Manifestum est autem, quòd ad educationem hominis non solum requiratur cura matris, à qua nutritur ad tempus, sed multo magis cura Patris, à quo est instruendus, defendendus, corrigendus, & in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus, proindeque necessum est, ut in specie humana sit naturale vinculum, seu societas maris ad determinatam feminam, non ad breve tempus, sed diu, & per totam vitam; sic enim secundum se exigit debita prolis educatio. Hanc autem societatem matrimonium vocamus.

Ex his principiis (*Ibid. & hic a. 2. o.*) spontè fluit ratio à priori conclusio: hæc scilicet. Fornicatio simplex est concubitus, secundum se privatus ordine naturali ad suum finem, scilicet educationem prolis; proindeque secundum se importat inordinationem, quæ vergit in grave nocuum, non solum ejus, qui ex tali concubitu nasciturus est, sed etiam boni communis, & societatis humanæ, in quam plurima, & pessima mala irruunt ex mala educatione membrorum: ergo secundum se est peccatum mortale. Prob. Ant. Debita educatio prolis in specie humana exigit inter marem, & feminam diuturnam societatem post coitum, ut patet ex dictis; atque fornicarius concubitus secundum se neque supponit, neque importat hanc diuturnam societatem maris, & femine, quin potius contrarium importat; est enim soluti cum soluta, hoc est, eorum, qui nullo inter se vinculo sunt devincti; ex quo fit, quòd quantum est ex natura actus fornicarii, pars post coitum possit pro libitu deserere societatem, prolem non agnoscere, nullam ejus curam gerere, quod sanè frequentissimè accidit, & consequenter pessima prolis educatio: ergo.

Nec obstat, si dicas fornicatore posse inter se pacisci, & jurare de cohabitatione, quamdiu necessaria erit ad prolis educationem, aut aliter illi providere. R. enim (*Ibid.*) id esse per accidens actui fornicario; per se autem illi convenire, ut partes non teneantur post coitum commanere, cum per ipsum nullo vinculo ad hoc arerentur in quantum fornicatores sunt, nec prohibeatur quis, quantum est ex ipsa ratione actus fornicarii, ad quamcumque aliam accedere; & idèò quantum est ex se, est actus privatus naturali, & debito ordine ad educationem prolis. Quòd ergo fornicator post coitum diu commaneat mulieri, & eam juvet ad prolis educationem, facit quidem, quod fornicatio actu non nocet proli, & bono communi, sed non tollit, quin sit secundum se nociva, & deordinata à fine generationis: inò id ipsum aperte ostendit ipsa provisio ordinata ad educationem prolis fornicarie; nam, si non esset deordinatus, & per se nocivus iste concubitus, non oporteret ejusmodi provisiones adinvenire, ut proles sine nocimento evadat, sicut non provideretur concubitus matrimoniali, quia non est secundum se nocivus proli. Porro in actibus humanis bonitas, aut malitia specifica attenditur secundum id, quod illis convenit per se, non autem secundum id, quod illis convenit per accidens. Itaque differentia inter per se, & per accidens, inquit hic Cajetanus, monstrat fornicationem esse peccatum mortale, & solvit omnes difficultates.

Repones: Si quis projiciat lapidem illuc, ubi quis facile lædi potest, sed adhibita diligentia providet ne ullus lædatur non peccat jaciendo: similiter, si quis sumat venenum mortiferum, sed ejus vim antidoto elidat, non peccat, nec est sui homicida: ergo similiter fornicarius, si provideat, ne nocuum accidat proli. R. N. Conseq. disparitas est, quòd actui fornicario per se convenit privato naturalis ordinis ad debitam educationem prolis; at factui lapidis non convenit per se lædere, sed per accidens, in quantum fit improvidè; & propterea, si aulerter Ly improvidè, quod, quæ accidens est, potest auferri, tollitur culpa, sed à fornicatione non potest tolli illa privatio, quæ per se inest. Idem dic de sumptione veneni, quæ non est secundum se illicita, nisi in quantum est occisiva; potest autem tolli ab ea per antidotum, quod sit occisiva, seu tendens ad occasionem; sæpè enim venenum per antidotum fit sanativum medicamen.

Dices 2. Fornicatio simplex non contrahitur neque dilec-

tioni Dei, neque dilectioni proximi; non dilectioni Dei, quia non est directè contra Deum; non dilectioni proximi, quia per hanc nulli homini fit injuria: ergo. R. (*Ib. ad 4.*) Fornicationem contrariari dilectioni proximi, in quantum secundum se importat inordinationem, quæ vergit in nocuum secundum prolem nascituræ. Et nota me non dicere, quòd de facto nocet proli, id enim potest impediri; sed quia secundum se involvit inordinationem, quæ vergit in nocuum, seu quæ est nociva: Undè est essentialitèr peccatum in materia luxuriae, consequenter in materia iniustitiae.

Inst. Si quis fornicetur cum vetula, aut sterili, ex qua certum sit non nasciturum prolem, hujus fornicationis inordinatio non vergit in nocuum alicujus: ergo. R. D. Ant. Non vergit in nocuum alicujus per accidens, C. Per se, N. Quia omnis concubitus in vase naturali per se ordinatur ad generationem, & ex eo secundum se potest nasci proles, alioquin congressus matrimonialis inter steriles foret illicitus: quòd si de facto non nascatur ob conditionem personæ, hoc est per accidens. Adeoque semper stat, quòd inordinatio concubitus fornicariæ secundum se vergat in nocuum proximi.

Repones: melius est proli natæ ex fornicatione sic esse, quam non esse simpliciter: ergo. R. N. Conseq. aliàs sequeretur, quòd adulterium etiam esset licitum, cum melius sit proli adulterinæ sic esse, quam non esse: quamvis ergo melius sit absolute proli fornicariæ sic esse, quam omnino non esse; non tamen idèò excusantur parentes; quia, supposito quòd generationi vacent, non solum debent proli esse absolute, sed in quantum possunt, debent bene esse, ut patet in ipsis animalibus, quæ proles suas ex ipsa lege naturæ nutriunt, defendunt, &c.

Dices 3. Peccatum mortale non cadit sub præcepto; atque Osee. 13. præcipitur à Domino: *Vade, sume tibi uxorem fornicariam, et fac tibi filios fornicationum*: ergo. R. His verbis non præscribit Osee accedere fornicariæ ad fornicariam; sed eam, quæ erat antè fornicariam, sibi datam à Deo accipere in uxorem legitimum. Undè non dicit simpliciter: *Sume tibi fornicariam*, sed *sume tibi in uxorem fornicariam*. Et cum subdit: *Fac tibi filios fornicationum*, sermo est, vel de filiis ex fornicatione præcedente genitis, quos ducendo matrem quasi in filios adoptaret, vel de filiis, quos ex ipsa uxore procrearet, qui dicitur filii fornicationum, non à fornicatione Patris, sed à priori fornicatione matris, ut patet ex capite sequenti in quo dicitur: *Filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum*. Cum autem S. Th. hic ad 2. dicit, *Quòd Osee non peccavit fornicando ex præcepto divino*, non vult Oseam propriè fuisse fornicatum, cum ibidem addat hanc concubitum non debere dici propriè fornicationem; sed vult ita nominari referendo ad cursum communem, secundum quem potuisset videri fornicatio secluso præcepto divino, cum mulier esset fornicaria, nec de matrimonio haberetur certitudo. Adde, quòd 1. 2. q. 100. a. 8. ad 3. disertè asserat, quòd Osee *Nec machatus, nec fornicatus fuit*. Ità Sylv. hic.

Dico 3. (*Ib. a. 3. o.*) Fornicatio simplex non est majus peccatum, quam peccata, quæ sunt contra virtutes Theologicas, & Religiones; neque majus, quam homicidium: est tamen majus, quam furtum. Prob. (*Ib.*) gravitas specifica peccati desumitur ab objecto, seu à bono, cui opponitur; atque bonum divinum, cui opponitur peccata contra virtutes Theologicas, & Religiones, est majus, quam bonum humanum, cui opponitur fornicatio, & inter bona humana majus est bonum hominis jam nati, cui opponitur homicidium, quam bonum hominis nascituræ, cui opponitur fornicatio: Bonum autem hominis nascituræ est majus, quam bona exteriora, quibus opponitur furtum: ergo.

Dices: Furtum opponitur Justitiæ, fornicatio Temperantiæ; atque eò gravius est peccatum, quò præstantior est virtus, cui opponitur, & Justitia est præstantior Temperantiæ: ergo. R. D. Minorem. Eò gravius est peccatum, quò præstantior est virtus, cui opponitur, cæteris paribus, C. Cæteris imparibus, N. Nam si oppositio unius peccati ad nobiliorem virtutem sit in re levi, & oppositio alterius peccati ad minus nobilem virtutem sit in re gravi, gravius erit hoc secundum peccatum, quam primum: sic v. gr. bestialitas est gravius peccatum, quam furtum unius floren, licet hoc sit contra Justitiam, & prius contra Temperantiæ. Bonum autem hominis nascituræ secundum se est quid gravius bono exteriori. Adde, quòd, licet fornicatio sit essentialitèr contra Temperantiæ, est tamen consequenter etiam contra Justitiam.

Varie quaestiones resolvuntur circa fornicationem.

Petes 1. Utrum possit dari ignorantia invincibilis de malitia fornicationis? R. Posse dari inter barbaros, rudes, & agrestes, quibus deest instructio (Q. 5. de malo a. 2. ad 3.) quia hujusmodi inordinatio, cum non manifeste contineat injuriam proximi, non est omnibus manifesta, sed solum sapientibus, per quos debet ad aliorum notitiam derivari. Ita post S. Th. Soto, Azor. & alii, quos citat, & sequitur Sylvius.

Petes, utrum sit simplex fornicatio, sufficiatque pro tali conseru, si quis cognoscat viduam, si servus suam dominam, si Christianus Gentilem, aut Judaeam, si tutor, aut curator pupillam, vel minorennem? R. Quantum ad duo prima affirmativè; quia est congressus soluti cum soluta, & quamvis interveniant quaedam circumstantiae, non videntur tamen notabiliter aggravantes. Ita Sylvius hic, qui idem censet de duobus posterioribus casibus. Sed quantum ad tutorem, aut curatorem, cui ex officio incumbit cura, non solum temporalis, sed spiritualis pupillae, aut minorennis, videtur circumstantia notabiliter aggravans. Quantum ad congressum Christiani cum Gentili, aut Judaea, probabile est pertinere ad rationem Sacrilegii, utpote contra reverentiam debitam Religioni, & Sacramento Baptismi. Dum enim Ecclesia damnat conjugium fidelis cum infideli, videtur etiam prohibere quaecumque commixtionem; cum sit idem motivum reverentiae, scilicet erga nostram Religionem, & Sacramentum Baptismi. Ita Lessius, Sporer, Delugo, contra Azor. Tambur. & Sylvium hic.

Petes 2. Quid censendum de copula cum alterius sponsa de futuro, an sit simplex fornicatio, an adulterium? R. Non esse proprie adulterium; quia adulterium, ut dicam infra, est alieni thori violatio. Neque etiam esse simplicem fornicationem, quia non est soluti cum plene soluta, siquidem sponsa de futuro sit obligata tradere suum corpus illi soli, cui per sponsalia promisit; sed reduci ad adulterium, si cut imperfectum ad perfectum sui generis, (Ib. a. 7. ad 4.) quatenus nempe fit injuria sponso, cujus violatur jus, si non in re, saltem ad rem: ideoque est circumstantia explicanda in Confessione. Idque verum est, sive agatur de sponso, sive de sponsa. Par est enim in utroque jus quantum ad mutuum obligationem corporis tradendi. Neque obstat, si dicas sponso per sponsalia non promittere abstinere à concubitu alieno. R. Id promittere, si non explicitè, saltem implicitè, quatenus promittunt mutuum traditionem corporum in eo statu, in quo reperiuntur. Idque sic esse patet ex eo, quod secundum communem sensum censetur gravis injuria irrogata sponso, si ejus sponsa ab alio cognoscatur; aut sponsa, si ejus sponso aliam cognoscatur.

Petes 4. Utrum liceat abrupte copulam fornicariam? R. 1. Qui ex displicentia, & odio peccati copulam fornicariam abruptit, etiam cum seminatione extra vas, bene facit, & ad id tenetur, quia nullum est instans, in quo quis non teneatur cessare à peccato actuali. Perditio autem seminis inde secuta est per accidens, & praeter intentionem, subestque legitima causa eam permittendi. Confirmatur: ita excitatus ad copulam, ut nisi eam peragat, sit seminaturus extra vas, tenetur eam non peragere: ergo, qui eam inchoavit, abrupte. R. 2. Qui in affectu peccati perseverans inchoatam copulam abruptit cum seminatione extra vas metu infamiae, aut ex aliquo simili motivo humano, peccat duplici peccato, scilicet fornicationis inchoatae, & pollutionis. 3. Qui iisdem motivis inchoatam copulam abruptit absque seminatione, novo peccato non inficitur; non videtur tamen sufficere, si accuset tactum impudicum, sed debet explicare se penetrasse vas, quia est inchoata fornicatio.

Petes 5. Utrum vir qui feminam inducit ad fornicandam, teneatur hanc scandalum circumstantiam exprimere in Confessione? R. Si paratam, aut facillè consentientem induxit, quamvis sit scandalum reus, non tamen tenetur exprimere in Confessione; quia ex communitè accidentibus praesumitur, & Confessarius facillè intelligit virum petisse. Ita Layman cum aliis. Secus, propter appositam rationem, si aliis nolentem, & invitam precibus, promissis, blanditiis, muneribus, &c. induxit.

Petes 6. Utrum, qui ter peccatum fornicationis, aut aliud commisit cum tribus feminis, teneatur exprimere in Confessione fuisse tres feminas, an sufficiat dicere ter fornicatus sum? R. Quantum est ex capite fornicationis, non tenetur exprimere numerum feminarum, quia in omnibus est eadem specie malitia. Si tamen eas induxerit, tenetur ratione scandalum. Memerit insuper Confessarius inquirere à fornicariis, an proles ex fornicatione nata sit, aut nascitura, an natam non exposuerint, aut neglexerint: an proles conceptionem impedire, seu abortum procurare non tentaverint. An, antequam ad copulam pervenerint, saepe eam non desideraverint, aut de ea delectati fuerint. Ad haec enim peccata interna plures poenitentes maxime rudes, & rustici non attendunt, qui solos actus externos peccata reputant.

APPENDIX II.

De Concubinato, & Meretricio.

Petes 1. Utrum concubinatus, & meretricium distinguantur specie à simplici fornicatione? R. Negativè; sed sunt diversi gradus ejusdem speciei. Meretricium dicitur, cum quis accedit ad eam, quae est publicè exposita. Concubinatus, cum habet consuetudinem accedendi ad aliquam determinatam, sive eam domo habeat, sive non. Concubitus vero cum ea, quae neque est publica, neque consuetudinaria, retinet nomen simplicis fornicationis, sed ubique est soluti cum soluta, ut supponitur, ideoque intra eandem speciem fornicationis. Attamen meretricium est aliquo usque gravius fornicatione, quia non solum est contra bonam educationem proles, sed etiam aliquo modo contra ejus vitam, cum ex meretricio non solum nasci proles. Attamen juxta Sylvium, & alios non videtur necesse explicare in confessione, an fornicatus quis fuerit cum meretrice, vel cum alia, modo exprimat numerus; quia, inquirunt, haec circumstantia non est notabiliter aggravans, forte quia actus secundum se est generativus, & solum per accidens ex conditione personae impeditur generatio; sicut si fornicaretur cum vetula, aut sterili.

Concubinatus autem est fornicatione, & meretricio gravius; quia superaddit statum, & permanentiam in peccato; videturque necessario apperitendus in Confessione, si non ratione majoris gravitatis, saltem vel ratione scandalum, quod plerumque sequitur, vel etiam si absit; quia alioquin Confessarius non cognosceret sufficienter poenitentis statum, quo permanente concupiscentiae, & desideria mala in infinitum multiplicatur, neque poterit conveniunt remedia praescribere. Quod autem legatur in veteri Testamento sanctos viros habuisse concubinas, concubinae ibi intelliguntur verae uxores; quae habebant quidem jus ad concubitus, unde dicebantur concubinae, sed non ad administrationem familiae, sicut ille, quae dicebantur uxores. Similiter, cum in Jure c. 4. & 5. d. 34. ex Concil. Tolet. dicitur: *Christianis, aut uxorem, aut pro uxore concubinam habere licere*; per concubinam etiam intelligitur veri nominis uxor, quae tamen non dicebatur uxor, quia non erat juncta Matrimonio cum certis solemnitatibus, quae aliis ex Jure civili requirebantur ad Matrimonium in foro exteriori.

Petes 2. Utrum concubinaris sit absolvendum antequam egerit concubinam? Regulariter non esse absolvendum, si semel, aut bis fidem promissi frangerit, satis convenit inter Auctores: sed an etiam, si prima vice confiteatur? absolvendum affirmant Tabiena, Sanchez, quos citat, & sequitur noster Loth, idque aperte insinuat Sylvius hic. Quia, cum poenitens nunquam promiserit, nec ideo unquam fidem frangerit, non est ratio cur Confessarius credat ipsius praesentem dolorem, aut propositum esse fictitum, unde tali poenitentii credere debet. Nihilominus R. verius videri, non esse regulariter absolvendum, etiam prima vice: ita Navarr. in Manu. c. 16. n. 20. noster Sylvester v. *Concubinaris* q. 2. Chapeauville de cas. reservat. in fine. Pontas v. *Ab-solutio* cas. 17. & alii. Ratio est; quia Confessarius habet legitimam causam suspicandi defectum sinceri propositi, si non ex priori infidelitate, quam nondum admisit, saltem ex hoc quod communitè accidit in similibus. Vix enim unum reperies, qui id sincerè promittit; quod patet ex hoc, quod vix sit unus, qui semel absolutus fidem promissi teneat, & concubinam ejiciat. Ex quo verisimiliter colligitur non sincerè promississe. Imò dato, quod sincerè hic, & nunc promittat, & quod ex eo capite possit Confessarius eum absolvere ut Juxta; non potest tamen ut Medicus, quia ut Medicus tenetur poenitentem remedia necessaria praescribere contra relapsum. Unicum autem remedium in hoc casu contra relapsum est, ut prius ejiciat concubinam; quia, si antea absolvatur, verosimiliter non ejiciet, ut communitè accidit, sique remanebit in occasione proxima peccati.

Dixi in conclusione regulariter: quia sunt casus, in quibus id liceat prima vice. 1. Si ex certis, & singularibus indicibus probabilibus sit Confessario poenitentem sincerè promittere, & fidem promissi servaturum; quod, licet ut dixi ra-

rum,

rum sit, potest tamen contingere. 2. Si poenitens concubinaris non sit sui juris, nec possit concubinam ejicere, ut filiusfamilias respectu ancillae. 3. In periculo mortis, in quo casu non solum liceret prima vice, sed toties quoties, quia in extremis extrema sunt tentanda. 4. Si ex denegatione absolutionis sequeretur gravis infamia, aut grave scandalum, ut si Pastor deberet in die festo omittere Sacrum Parochiale, modo aliunde appareat sincerè poenitens.

Petes 3. Utrum concubinaris nolens expellere concubinam, aut ab ejus consortio desistere, possit in aliquo casu absolvi: quod generalius quaeri solet, utrum liceat permanere in periculo proximo peccandi, & talem in aliquo casu absolvere? Navarrus in Manu. c. 3. n. 15. loquens de occasione proxima respondet affirmativè, positis quatuor conditionibus. Prima est, quod sit poenitendo praeteritorum. 2. verum propositum non peccandi, cum se invenerit in ea occasione. 3. credulitas, quod Deo juvante non peccabit in ea. 4. quod sub rationabilis causa non se separandi ab illa. Equidem in ea sum opinione, quod proximum periculum peccati non sit secundum se peccatum formaliter, sed occasio dumtaxat peccati, proinde quòd aliqua ratione possit coherescere. Sic secundum Jura, capite *Consultatori*, de frigidis, duo conjugati, quorum matrimonium ratione impotentiae est nullum, permittuntur simul cohabitare ut frater & soror, non sine evidentissimo & proximo periculo plurius immunditatum. Idem censet laud. Navarr. de duobus conjugatis, quorum matrimonium est nullum ob impedimentum occultum, ex quo tamen ante sunt proies, quos dicit esse simul cohabitare ut fratrem & sororem ad evitandum scandalum, donec adveniat dispensatio. Sic etiam puto chirurgum, etsi in hac materia fragilem & saepe lapsum, posse mulieri parienti, nullo alio opitulante, manum obstetricantem adhibere, ne simul factus cum matre pereat. Tunc ergo solum periculum proximum peccandi imputatur ad peccatum, quando quis censetur illud gratis velle & amare, juxta illud Eccl. 3. *qui amat periculum, in illo peribit*. Quia tunc censetur velle & amare peccatum, cujus periculum est occasio & causa proxima: qui autem urgente aliqua gravissima ratione in illo permanet, aut illud incurrit; non tam dicit potest amare periculum, quam illud subire, aut pati.

Verum rarissimum arbitror hanc gravissimam rationem, quam Navarrus indulgentiori vocabulo nominat *Rationabilem causam*: maxime dum attendo ad haec Christi verba Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te, bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*. Quorum verborum sensus est, quod omnia, quae sunt nobis causa & occasio peccandi, quantumvis chara & necessaria, sicut est oculi postpoenere debeamus saluti periclitanti. *Quam enim commutationem, dicit alibi Christus, dabit homo pro anima sua?* Ut ergo ad concubinarium redeamus. R. 1. Si sit notorius, nullus est casus, in quo ipsi liceat manere cum concubina, aut eam frequentare; quia tunc non jam est periculum solum peccati, sed peccatum formaliter: neimpè scandalum; non licet autem nec ad instans permanere in peccato formali. Ex quo etiam inferunt plures Theologi, quod, licet concubinaris respiciatur, aut forte nunquam talis fuerit, si tamen sit, aut remaneat fama de concubinato, teneatur mulierem, quae habetur ejus concubina, deserere propter scandalum, donec veritas legitime conversationis appareat. R. 2. sive sit notorius concubinaris, sive secretus, censeo non posse concubinarium retinere concubinam in casibus, qui vulgo proponuntur. Et 1. certum est, non posse, quamvis concubina sit ipsi valde utilis, & alia famula difficillè inveniretur, ut patet ex condemnatione sequentis propositi. per Alex. VII. *Non est obligandus concubinaris ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum, vulgo Regalo, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam; & alia epule & edo magno afficerent concubinarium, & alia famula nimis difficillè inveniretur*.

2. Regulariter non potest retinere propter periculum infamiae, aut alterius damni temporalis, quod incurreret ex ejectione concubinae. Quia recta ratio principii fidei instructa videtur exigere, ut homo quaecumque damnum in bonis temporalibus patiat, potius quam animam certo & proximo damnationis aeternae periculo exponat. Et quantum ad infamiam specialis insuper est ratio. Vel enim concubinaris est notus ut talis; vel non: si primum, nulla ex ejectione concubinae sequeretur infamia, sed laus & contra: si secundum, non magis inde sequeretur infamia, quam ex ejectione alterius domestici: nec desunt praetextus, quibus teatur vera ejectionis ratio. Dixi: *Regulariter*: & ideo R. Si severa, imminente gravissimo damno, aut scandalo ex ejectione concubinae, posset attentè dispoenitione poenitentis & aliis

Theol. Biluati. Secunda Secunda.

circumstantiis concepi fundata credulitas, ut loquitur Navarrus, quod opitulante Deo remanens in periculo non peccabit; non do quidem securitatem, sed nec auderem ex supradictis damnare poenitentem, neque Confessarium, qui eum absolveret; maxime quod in hac hypothese videatur minui periculum, & non esse amplius proximum.

Petes 4. Utrum Confessarius possit audire confessionem suae concubinae? Juxta Sanchez & Diana apud Loth talis confessio potest esse licita ad salvandum famam concubinaris, aut quia ipse melius novit statum poenitentis. R. Id nec esse decens, (Supplem. q. 20. art. 2. ad 1.) nec congruum, propter periculum novi consensu, aut defectus doloris ex nimia familiaritate, adhuc, ut suppono, perdurante. Supposita tamen sufficiente dispoenitione poenitentis, quae raro potest praesumi, nisi jam diu abstinerit, si absolveretur, esset absoluta. Hoc attento Jure naturae, nam ex Jure positivo talis absolutio reservatur in multis Diocesis, & signatur in hac nostra Leodiensi.

Petes 5. Quenam sint poenae concubinariorum? R. Concilium Trid. sess. 24. cap. 8. de Ref. Matrim. statuit, ut concubinaris, si ter admoniti ab ordinario concubinaris non egerint; nec ab ejus consuetudine se separaverint, excommunicentur. Quod si per annum non potuerint, severè puniantur. Concubinae vero, si pariter ter admonitae non paruerint, extra Oppidum, seu Diocesim ejiciantur. Verum istae poenae & aliae, quae spectant Clericos concubinaris, sunt sententiae ferendae, & non latae, ut patet ex terminis Concilii loc. cit. & sess. 25. c. 14.

ARTICULUS III.

De Stupro.

NOta 1. (Ib. a. 6. ad 2.) Stuprum generaliter sumitur pro omni illicito concubitu: sic sumitur Num. 5. dum dicitur: *Si latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro*, &c. Specialiter sumitur pro illicito concubitu cum virgine. Quidam requirunt ad rationem stupri, proit est species distincta luxuriae, quod iste concubitus sit violentus; ita quod, si virgo consenserit, non sit proprie stuprum, neque species distincta a fornicatione. Ita Dom. Soto in 4. d. 18. q. 2. a. 4. Petrus Navarra, Sanchez, Lessius, Mulderus, Henno, & plures alii recentiores. Unde stuprum definiunt, quod sit *violenta virginis deformatio* S. Thomas (Ibid. o.) verò, Gratianum & Magistrum sententiarum secutus, & cum eo antiquiores & Theologi S. Bonavent. S. Antonin. Angelus, Sylvester, Fumus, Navarr. Cajet. Tolet. Bannes, Azor. Bonacinus Sylvius, & alii plures tenent oppositum; atque docent, ad rationem stupri, quatenus est species distincta luxuriae, sufficere congressum cum virgine, sive adsit violentia, sive non. Unde definiunt stuprum: *Illicita virginis deformatio*.

Nota 2. per To virginis, in utraque sententia, non intelligi illam, quae virtutem virginitalis sic servavit, ut nullo peccato luxuriae fuerit maculata; sed illam, quae virginitalis signaculum integrum retinet, quamvis aliunde delectationibus veneris, aut mollitiae sit polluta. Igitur virginitas hic supponit, non pro virtute, sed pro statu integritatis. Signaculum autem virginalis quidam reponunt in quadam membrana, seu pellicula, quae hymen dicitur, & virili coitu lacera- ta aboletur. Alii autem, & praesertim recentiores, volunt nihil aliud esse, quam compressionem, seu complicationem orificii vasis foeminae, quae congressu viri dilatatur, sicut vas aperitur. Idque verius videtur, quod juxta Medicos & Anatomicos modernos praedicta pellicula non reperitur in omnibus virginibus, maxime junioribus.

Dico 1. Stuprum virginis in vita, seu violenta deformatio virginis superaddit simplici fornicationi malitiam mortalem specie distinctam, non solum ratione violentiae, quae cogitur ad fornicandum, qualis potest esse respectu corruptae, sed etiam ratione integritatis naturalis, quae ab invita violentè rapitur. Quia, ut dicam infra, haec integritas violentè ablata est sufficientis momenti ad constituendum peccatum mortale in violatore. Per violentiam autem hic intelligitur, non solum violentia physica, sed etiam moralis, qualis est fraus & metus; item importune preces, & blanditiae, quae juxta judicium prudentum in hac praesertim materia violentiam moraliter reputantur, quales sunt ea, quae comitantur magna promissa, oscula, tactus, veneris intentiva, ac uno verbo ea omnes, quibus ingenua mulier facillè resistere non potest.

Dico 2. Stuprum Virginis ultrò consentientis est etiam

Rrrr

ve.

vera species luxurie, a fornicatione distincta. Prob. Ubi circa materiam alicujus vitii occurrit aliqua specialis difformitas, ibi debet poni determinata species illius vitii; atqui in stupro Virginis, etiam ultra consentientis, est specialis difformitas circa materiam luxurie. 1. Ex parte puellæ, quæ ex hoc, quod corrumpatur nulla pactione conjugali præcedente, impeditur a legitimo matrimonio, & ponitur in via meretricandi; a qua retrahatur, ne signaculum virginittatis amitteret. 2. Ex parte Patris, qui de ejus custodia sollicitudinem gerit: ergo.

Sed quid, si parentes etiam consentiant? R. Nihilominus stuprum remanere speciem distinctam luxurie; quia remanent eadem rationes ex parte puellæ; quod sufficit. Insuper, juxta Cajetanum, signaculum virginale indiget naturaliter custodia paterna, sique ab ordine ad illam non potest absolvi per consensum parentum; neque negandum puto, quod, qui corrumpat virginem, quæ de facto non existit sub cura parentum, committeret verum stuprum, & non simplicem fornicationem, sique stet ratio stupri independentem a consensu, vel dissensu parentum. Quando autem S. Thom. definit hic stuprum, quod sit illicita virginis defloratio sub cura parentum existentis, hæc ultimæ particulæ juxta Sylvium non ponuntur ad significandum tantum esse stuprum, quando virgo, quæ corrumpitur, de facto est sub custodia parentum, sed ad significandum id, quo virginis naturaliter indigent ad signaculum virginale servandum usque ad matrimonium.

Dices: scientibus & volentibus non fit injuria: ergo. Responderi potest ex dictis ad Antecedentes, fieri injuriam juri naturali, quo Pater constituitur custos virginittatis filie, cui proinde cedere non potest. Sed, hoc omisso, R. Dato Ant. N. Conseq. Neque enim S. Th. neque nos statuimus stuprum esse speciem distinctam luxurie præcisè & principaliter ratione injuriæ, aut injuriæ alicui irrogatæ; sed præsertim, quia puella per hoc impeditur a legitimo matrimonio, & ponitur in via meretricandi, a qua retrahatur, ne signaculum Virginittatis amitteret. Addimus quidem cum Auctore, fieri injuriam parenti, quod de custodia virginittatis sollicitudinem gerit: Quia, vel parentes valide consentire non possunt, ut dictum est, vel raro accidit, quod consentiant stupro suarum filiarum. Casu tamen quo res ita sit, & cesset ista ratio, remanent saltem adhuc rationes aliæ ex parte virginis, quæ cum importent speciem difformitatem, sufficiunt ad constituendam speciem distinctam luxurie.

Repones: S. Th. hic ad 3. docet, stuprum habere duplicem injuriam annexam: unam ex parte virginis, quam etsi stuprator vi non corrumpat, seducit tamen, & sic tenetur ei satisfacere; aliam ex parte patris: ergo, utroque ultra consentiente, non est injuria, nec stuprum. R. N. Conseq. Nihil enim aliud ibi intendit S. Th. quam quod stuprum ex adjectione injuriæ remaneat nihilominus stuprum, & fiat deformius; non autem negat, quod, seclusa injuria, sit verè stuprum, quin potius contrarium evidentè & constanter asserat, tum in definitione stupri, tum in rationibus, quas deduximus in probatione conclusionis, tum denique articulo seq. ubi dissertit dicit: *stuprum sine raptu invenitur, quando aliquis sine violentia illatione virginem illicitè deflorat.*

Ex hac Conclusionem colliges 1. Puellas, quæ se tangendo libidinosè digitis, aut instrumento, claustrum virginale reserant, committere stuprum. Colliges 2. masculinum primò fornicantem non committere stuprum; est communis contra paucos. 1. Quia non amittit signaculum virginale, ex cuius amissione impediatur a legitimo matrimonio, & ponatur in via meretricandi; nec aliquid aliud quod paternæ custodiæ a natura sit demandatum. Nam masculi post pubertatis annos absque custodia communiter discerunt, non sic puellæ; quod autem communiter fit in naturalibus, signum est sic natum esse fieri, inquit Philosophus 2. physic. Ast, iniquus, perdit masculus virginittatem Deo, Angelis, & hominibus amabilissimam, singulare animæ & corporis ornamentum. Esto: sed perdit, quod sumum est, & nemini facit injuriam: cessante autem injuria, nihil ex hac amissione remanet, quod speciem aliquam deformitatem importet, sicut contingit in puella.

Colliges 3. cum Azorio, Bonac. & aliis, quos citat & sequitur hic Sylvius, pollutionem in virgine, aut consensum in pollutionem sine respectu ad copulam, non pertinere ad stuprum, sed solum ad mollicitem.

Dico 3. Probabilis videtur, stuprum virginis ultra consentientis non superaddere fornicationi simplici malitiam mortalem, quæ sit necessario in Confessione explicanda, sed veniale dumtaxat. Ita Joann. Wiggers de justitia & jure Tract. 2. c. 4. Dub. 1. quem citat & sequitur Boudart.

Tract. 6. in 6. præcept. Decal. q. 4. Et novissimè Carolus Gislénus Daelman de jure & justitia q. 4. observ. 17. Neque idèd putes, nos a D. Th. dissentire. Statuit quidem S. Doctor & nos cum ipso, stuprum virginis consentientis esse verè stuprum & speciem distinctam luxurie; at non dicit esse mortalis malitiæ: non enim omnis circumstantia mutans speciem semper addit malitiam mortalem; quod fortè fallit minus intelligens, si quidem sint plures peccatorum species, quæ secundum se non sunt mortales, v. gr. ira, avaritia, gula, prodigalitas, vana gloria, &c. Item ex, quæ sunt secundum se mortales, sæpe fiunt veniales ex levitate materiæ.

Prob. itaque conclusio 1. a priori. Rationes, propter quas ponimus cum D. Th. stuprum virginis consentientis constituere speciem distinctam luxurie, sive considerentur ex parte puellæ, sive ex parte parentum, non videntur adeo graves, ut afferant malitiam mortalem: ergo. Prob. Ant. ex parte puellæ. Non est tanti momenti 1. Quod impediatur a legitimo Matrimonio; tum quia non tenetur illud inire, & potest velle ab alio abstinere; tum quia non impeditur per stuprum, nisi in quantum innotescit, quod raro accidit, & quando accidit est per accidens stupro. 2. Neque quod ponatur in via meretricandi; quia, quæ secunda & tertia vice fornicatur, magis ponitur in via meretricandi, quam quæ prima vice. Per actus enim repetitos sensim amittuntur fama & pudor, ac generatur habitus: imò, quæ cum diversis fornicatur, non solum ponitur in via meretricandi, sed de facto meretricandi, & tamen neque in primo casu secunda & tertia fornicationis, neque in secundo casu fornicationis cum diversis est per se malitia mortalis superaddita simplici fornicationi: ergo.

Si dicas, per primam amittit signaculum virginale, cuius amittendi metu retrahatur a fornicatione, ut dicit S. Th. quod non accidit in casibus allatis. Equidem fateor, aliquam ibi esse speciem deformitatem, & idèd dicitur tale stuprum esse speciem distinctam luxurie, sed non putamus mortalem: aliam, quod magis progredieretur in via meretricandi, eò major admittenda foret malitia mortalis, quod tamen est falsum, ut patet ex dictis.

Ex parte parentum. Non minus Jure naturæ, imò magis, demandata est parentibus cura & custodia filiarum corruptarum utpotè magis periclitantium, quam virginum; atqui quod puella corrupta fornicetur citrà consensum parentum, non est circumstantia mortalis: ergo nec quod virgo, &c. Horum fundamentalis ratio est, quod tam virgo, quam corrupta habeant proprietatem & dominium sui corporis quantum ad hunc usum, non minus quam pedum ad ambulandum, oculorum ad videndum, ita quod valde & absque injuria, quamvis non semper licitè, possit de illo disponere. Quod patet ex eo, quod in viris parentibus possint valde nubere. Confirmatur: Masculus habet dominium sui corporis quantum ad hunc usum, ita quod nulli facit injuriam, si eo abutatur: ergo & puella. Jus autem, quod parentes habent in corpus filie quoad hunc usum, est jus improprie dictum, scilicet custodiæ & economiæ. Unde fietur illis quidem gravis injuria, si vi, aut fraude contra illud ageretur. At, dum illa, quæ habet dominium & proprietatem, in hujus boni amissionem consentit, non nisi levis injuria custodi inferitur.

Nec refert, si dicas parentes, non a puella, sed a natura constitutos esse custodes. Fateor quidem ita esse, aliàs non levis, sed nulla fieret ipsis injuria, ut patet in economis & custodibus, quibus nulla fit injuria, quando dominus, qui eos constituit, in direptionem bonorum suorum consentit. Verum est ergo, hinc sequi aliquam injuriam fieri parentibus, sed non admodum gravem, ut patet in fornicatione corruptarum, quarum custodi pariter, non ab ipsis, sed etiam a natura sibi demandata est.

Prob. 2. A posteriori ex communi praxi & inconvenientibus. Si stuprum virginis ultra consentientis superadderet simplici fornicationi malitiam mortalem: sequitur, quod puella, se accusans de delectatione virginitatis, teneretur etiam explicare, an sit virgo, vel non; similiter vir, an puella, quam concupivit, sit virgo, vel non; & si id taceat, debeat inquirere Confessarius; atqui hoc est contra praxim communem tam poenitentium, quam Confessariorum, idque foret utrisque onus intolerabile. Quæ enim puella in pari casu somniavit unquam explicare, sitne virgo, vel non; quis pariter vir id cogitaverit inquirere, aut exprimere; & si id sciscitari ab eis tenet Confessarius, ingenuas puellas præsertim moniales pudore maximo suffunderet, & elingues efficiet; a viris autem responsum habebit se nescire, neque de eo cogitasse, & demum ab utrisque nimis & suspectæ curiositatis arguetur.

tur. Ingendè fateor, me, antequam præsentis opinioni subscriberem, in his pudendis & importunis interrogationibus factis, dum menti occurrerent, graves molestias passum esse, & aliis creasse, mihi quæ ratè fuisse satisfactum: ergo.

Solvuntur Objectiones contrà ultimam Conclusionem.

Obj. 1. Stuprum virginis, etiam consentientis, pervertit ordinem naturalem, juxta quem claustrum virginale debet manere integrum usque ad Matrimonium, vel usque ad mortem: ergo. R. D. Ant. pervertit ordinem naturalem in re levi, C. in re gravi, N. Explicatur: Ista perversio ordinis naturalis potest considerari dupliciter, quoad modum & quoad rem. Quoad modum est quid grave, quia fit per modum graviter illicitum, nempe fornicationem. Quoad rem verò, quæ est amissio integritatis, in qua sita est ratio stupri, est quid leve postea consensu virginis; quia tunc cessat injuria, quod est in eo precipuum & grave.

Inst. 1. Signaculum virginale est quid grave, saltem in ordine ad famam & statum suscipiendum, utpotè singulare virginis ornamentum, quo se viro reddit gratam, naturæ donum honori Matrimonii reservandum, ac tandem virginittatis custos: ergo ejus amissio est res gravis. Respondent aliqui, negando signaculum virginale esse rem gravis momenti. Vel enim, inquit, consideratur naturaliter, vel moraliter quoad æstimationem hominum. Si naturaliter, nihil esse aliud, quam scissio levis pelliculæ, vel partium reseratio, & utrovīs modo est admodum levis læsio, quæ nec tollit incolunitatem corporis, nec causat ejus deformitatem. Si consideretur moraliter in ordine ad æstimationem hominum, etiam dicunt esse quid leve apud æquos rerum æstimatores, utpotè quod unico actu amittatur: quod autem contempnū habeatur, quæ noscitur corrupta, hoc provent non tam ex signaculo virginittatis amissio, quam ex probata inde ejus lascivia. Unde inquit: si duæ aliæ offerantur ad matrimonium, quarum una sit vidua, sed adhuc vegeta & nubilis, nullaque prole gravata, altera virgo, cæteraque stant paria, non multum virgo præferretur viduæ, quin potius vidua sapè præferenda est propter ejus probatam in administranda familia dexteritatem. Quod si in tali casu quidam multum attendant ad dotem virginalem, hi non videntur æqui rerum æstimatores, qui in matrimonio incedendo ad carnalium rerum æstimatores, quam ad essentialia, nimirum ad sponsæ fidelitatem in servanda fide conjugali, ad ejus pietatem in educandis proliis, ad ejus dexteritatem in administranda re domestica, &c.

Hæc solutio est probabilis: sed ex ea sequitur, quod, qui vi opprimeret virginem, non peccaret mortaliter ratione virginittatis ablata, sed solum ratione violentiæ illatæ ad copulam illicitam, qualis foret respectu corruptæ: sicut, v. gr. qui vi auferret ab alio quadrantem, non peccaret mortaliter ratione rei ablata; & consequenter satisfaceret iste violentus stuprator accusando se vim intulisse puellæ, non explicando conditionem virginittatis. Quod non puto concedendum, juxta primam conclusionem. Quapropter, dato virginittatem esse sufficientis valoris apud homines, ut ejus violenta ablatio constituat peccatum mortale superadditum violentiæ pari, quæ fieret corruptæ (non enim constat esse iniquos rerum æstimatores, ut dicit præcedens Responsio, qui illam magni æstimant, imò oppositum videtur verius, & colligitur ex communi sensu & ex supremo, ac justo more, quo affligitur virgo violentè deflorata) Respondeo hanc malitiam gravem, quæ sita est in injuria virginis illata, cessare per ejus consensum in stuprum: sicut cessaret, si ab ea consentiente auferrem centum nummos; remanet tamen in tali stupro sufficiens deformitas ad constituendum peccatum veniale, ut dictum est.

Inst. 2. Virgo non potest in id consentire: ergo. R. D. Ant. non potest licitè, C. Non potest valde, seu citrà eujusque injuriam, N. Habet enim, ut dixi, proprietatem & dominium sui corporis ad hunc usum, non minus quam oculorum ad videndum. Unde: sicut, qui abutitur oculis ad malum, peccat, nemini tamen facit injuriam; ita, quæ utitur suo corpore ad hunc usum modo illicito, peccat, sed nemini facit injuriam, nisi levem parentibus, ob custodiam ipsis a natura demandatam tam circa virgines, quam circa corruptas.

Inst. 3. Virgo non potest valde consentire in abscissionem membri, nisi abscissio sit necessaria ad conservationem totius: ergo nec in amissionem signaculi virginittatis. R. N. Cons. Disparitas est, quod puella habeat majus jus in proprium corpus ad usum copulæ, quo auferatur signaculum virginale, quam in propria membra quantum ad eorum abscissionem; quod patet ex eo, quod possit absque necessitate inire ma-

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

trimonium: non possit autem absque necessitate abscindere sibi membra. Adde, quod physicè loquendo membrum sit gravis momenti, non sic pellicula, aut complicatio virginittatis.

Inst. 4. Coniux non potest valde consentire adulterio comparis, ita quod per hujusmodi consensum abstergetur malitia adulteri: ergo nec virgo stupro. R. N. Cons. Disparitas est, quod adulterium non solum sit contra jus personale conjugis, sed etiam contra jus status conjugalis, unde, dato quod possit coniux valde cedere juri suo personali, ex quo per adulterium non fiet ipsi personaliter injuria, non potest tamen valde cedere juri status, eo modo, v. gr. quo Clericus non potest cedere juri sui status clericali. Quapropter, suppositio consensu mariti in adulterium comparis, remaneret semper injuria facta statui, & juri conjugali. At jus virginis in corpus ad copulam est jus personale tantum, cui proinde valde cedere potest.

Obj. 2. Ex stupro virginis, etiam consentientis, sequuntur gravis moeror & indignatio parentum, ac familie dedecus, item sæpè inimicitia, rixæ, cades, &c. ergo. R. Hæc non sequi per se ex stupro, sed per accidens ratione evulgationis; sicut etiam sequi possunt ex evulgatione fornicationis illius, quæ jam secretò erat corrupta; unde non constituunt malitiam mortalem in stupro secundum se.

Obj. 3. In certis Diocesisibus, non reservata fornicatione simplici, reservatur stuprum: ergo signum est stuprum superaddere fornicationi mortalem malitiam; venialis enim non solet reservari. R. 1. Non solum circumstantiam stupri reservari, sed ut conjunctam fornicationi, quæ inde fit gravior. Et idèd potest reservari stuprum, etsi non reservetur fornicatio simplex. Quod si hæc purè circumstantia reservatur, ut vult Steyartius, quod tamen non probat; R. 2. Hos Episcopos sequi sententiam oppositam, quæ ipsis videtur probabilior. Vel potius, sicut in hac Diocesi Leodiensi, secundum Chapeauville, reservatur stuprum, quod est violenta defloratio virginis, non violenta strictè dicta, sic enim est raptus; sed violentia morali, quæ sita est in præcisibus importunis, ut explicuit supra conclusione 1.

ARTICULUS IV.

De Rapto.

Raptus potest dupliciter considerari 1. ut est specie luxurie; 2. ut est impedimentum matrimonii: quæ duo Auctores plerumque non satis distinguunt. De rapto, ut est species luxurie, hic est dicendi locus: quatenus est impedimentum matrimonii, spectat tractatus de matrimonio: quia tamen quedam habent communia, & unum per aliud innotescit, hic de utroque dicam. Unde sit

§. I. De Rapto, ut est species Luxurie.

Dico: Raptus, ut species luxurie, est vis illata cuiusque personæ, aut ejus parentibus causa explendæ libidinis. Scio, communiter definiti, quod sit abductio violenta cuiusque personæ causa explendæ libidinis. Et quidem in Jure c. Lex illa. Dist. 36. a. 1. exprimitur per abductionem. Prior tamen definitio videtur conformior S. Th. & rationi. 1. (Hic a. 7. o.) Th. docet, quod raptus & stuprum concurrunt in idem, quando aliquis violentiam infert ad virginem illicitè deflorandam: ubi non requiritur abductionem. Et infra: Qualitercumque violentia adsit, proindeque etiam absque abductione, salvator ratio raptus, et iterum infra: Stuprum sine raptu invenitur, quando aliquis absque violentia illatione virginem illicitè deflorat: ergo, ubi intervenit violentia illatione, est raptus. Verum quidem est, quod ibidem ponat exemplum raptus in abductione, dum ait ibidem: puta, cum ipsa puella consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur. Sed hoc probat, esse quidem raptum, cum puella violentè abducitur; at non, quod solum tunc sit raptus.

2. Non est de ratione raptus ut sic, quod res rapta abducatur de loco in locum, sed solum quod violentè auferatur a domino, vel custode præsentem & reluctantem, etiam si non abducatur, sed ibidem consumatur, vel vi detineatur, ita quod sola violentia sit essentialis raptui, & ipsam a furto distinguat: sic v. gr. qui panem, vel vinum ab aliquo præsentem & renitente vi auferret, & ibidem consumeret, esset verus raptor, & non tantum fur: ergo. Confirmatur: Vis illata alicui ad explendam libidinem non est simplex stuprum, ut patet ex articulo præcedenti; non simplex fornicatio, aut simplex adulterium, incestus, vel sacrilegium: ergo raptus.

Quidam dicunt, hanc violentam oppressionem in eodem